Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35473
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



Eripe me de inimicis meis deus meus
et ab insurgentibus in me libera
me. Eripe me de operantibus iniquitatem: et de viris sanguinum salua me.
Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea neque peccatum meum domine: sine iniquitate cucurri et direxi. Exurge in occursum meum et vide: et tu domine deus virtutum deus israel. Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Conuertantur ad vesperam et famem patientur vt canes: et circuibunt ciuitatem. Ecce loquentur in ore suo et gladius in labijs eorum: quis enim audiuit. Et tu domine deridebis eos ad nihilum deducis omnes gentes. Fortitudinem meam ad te custodiam: quia deus susceptor meus deus meus misericordia eius preueniet me. Deus ostendit mihi super inimicos meos: ne occidas eos ne quando obliuiscantur populi mei. Dispergeillos in virtute tua: et depone eos protector meus domine
Delictum oris eorum sermones labiorum ipsorum